

essent, quodque miro victoriæ cursu septem & quadraginta hostium naves incendio consumpsisset. Sciscitaretur itaque ab eis, placeret ne classem foris esse, an, piratis hostibusque toto mari pulsas, sub hyemis initium domum reduci. Rerum gestarum nuncius ingentem Patribus totique civitati attulit læticiam. Laudatus itaque absens Lauretanus, ejusque nomen in ore omnium esse. Classis partem Venetias reducendam Senatus censuit, reliquam vero foris ad præsidium maris remanere.

Dum autem hæc in aquis geruntur, Pontificis, Florentinorum, Mediolanensium, Sforcia, & Allobrogum legati plures dies Venetiis fuere, jactataque imprimis est Sforcia & Mediolanensium causa. Sed ubi res, ut antea, ad arma spectare visa est, tum Patres Sigismundum Malatestam suarum copiarum legunt imperatorem: Florentinis recusantibus se Sforcia adversaturos, urbis commercio interdicunt. Nec ille ociose bellum, quod sibi cum Venetis instabat, fuerat præmeditatus: sed interim quum de pace ageretur, suas opes non mediocriter firmarat. Nam & Laudem & Pisseonem valido præsidio iniverat, cum Lodovico Allobrogum Duce pacem sanxerat. Et ut omnem spem Veneti auxilii hostibus adimeret, Brepium quoque tentavit occupare; quod ubi efficere non potuit, proximo loco castra fecit, erexitque validas non procul inde munitiones, quibus præsidio firmatis (quia jam hyems instabat) statuit ex vicis & municipiis proximis Mediolanum infestare. Sigismundus haud multo post subito incursum Brepianas hostium munitiones adortus, earum duas expugnavit, expugnatasque incendit & evertit: occupasset & reliquas, nisi mature Sforcia affuisset, cujus interventu Malatesta citra Abduam se recepit. Collio & ipse per Saxoniam vallem ad Larium lacum insinuatus, tentavit, importandi commeatus gratia, cum Jacobo Picinino (Franciscus aliquanto antea vita decesserat) copias jungere: sed alæ equitum ab illo ex Mediolano missæ, paucorum prodicione in hostium potestatem venire. Secutus inde Sigismundus, qui in Brigantinis cum Collione conjunctus Bar-

rum